

# Sammelband 09

Index locorum in hoc volumine  
explicatorum

- 16. 29 Ps. LXXXIV.
- 4. Math. II. 17. 18.
- 28 Luc. I. 78.
- 10 Act. XIII. 32. 33.
- 20 Ep. V. 23.
- 18 Gal. I. 34.
- 11 Col. II. 14. 15.
- 23 Cor. XIII. 2.
- 36 1 Petr. III. 18.
- 38 2 Petr. I. 19.
- 6 Jud. 9.
- 58 Apoc. XXII. 16.

37

36

EN ΠΕΡΙ ΤΩΝ  
ΦΥΛΑΚΗ ΠΝΕΥΜΑΤΩΝ  
EN ΦΤΛΑΚΗ ΠΝΕΥΜΑΤΩΝ

S I V E

DE SPIRITIBVS IN CVSTODIA

I PETR III XVIII

I N

SOLLEMNI DIE ANNIVERSARIO

S. MICHAELIS

A. I. S. M D C C L V I

I N A C A D E M I A I V L I A C A R O L I N A

P. P

HELMSTADI

LITERIS VIDVAE B. SCHNORRII





DE  
SPIRITIBVS IN CVSTODIA

AD

I P E T R. III. X V I I I

Ἐν ᾧ καὶ τοῖς ἐν Φυλακῇ πνεύμασι πορευθεῖς ἐκήρυξεν,  
Ἀπειθήσασι ποτε, - - - - -

I

VARIÆ quidem diuersæque interpretum fuerunt  
sententiae, qui τὰ Πνεύματα ἐν Φυλακῇ, *Spiri-  
tus in custodia*, quos hoc in loco diuus Petrus  
commemorauit, exposuerunt: nemo tamen et  
magis a sententia scriptoris sacri, et a regulis bonae in-  
terpretationis recessit longius, nupero scriptore, a) no-  
uam qui coniecturam proposuit. Quam quia attulit oc-  
casionem dissertationis *de descensu Christi ad inferos*, sub  
praesidio Theologi et Collegae nostratis, Carpzouii, pau-  
cis abhinc annis hic habitae; igitur placuit istam exami-  
nare, ostendereque, hanc nouam perfare coniecturam

A 2

non

a) Fridericus Wittingius, Pastor ad aedem D. Michaëlis Hilde-  
sienfis, *Coniecturam in locum difficilem 1 Petri III, 19*, inseri  
curauit S. R. D. Ioh. Dieter. Winckleri *Anecdotis Hist. or.  
Eccles. Nouantiquis. P. V. Num. 33, p. 666-676*

III

non posse. Illud institutum nec erit plane infructuosum, nec ab hoc tempore, quo τῶν Πνευμάτων ἐν ἑρανσίς, *Spirituum in caelis*, instauramus pie memoriam, alienum: speramusque, nos effecturos his breuibus, neminem futurum, qui huic explicationi nouae assensionem sit aliquam praebiturus

II

ARCESSIT autem in subsidium interpres nouus locum Apostoli eiusdem παράλληλον, 2 Epist. II, 5, et existimat, inde se reperisse, quod nullus adhuc eruditorum vidit ante diem hodiernum. Quum enim Noachus ibi nominetur δικαιοσύνης κήρυξ, *iustitiae praeco*; igitur credit, hoc indicare, quaenam Πνεύματα nostro in loco intelligenda sint. nimirum ipse Noachus et reliqui *praecones*, qui tum erant, *verbi* praecipue *Euangelici*. Deinceps, quia Deus ἐφύλαξε Noachum, seu *in tutela custodiuit*; itaque colligit, τὰ Πνεύματα ἐν Φυλακῇ adhiberi pro iis, *qui in tutela sunt, et conseruantur aduersus poenas*. quales tum et ipse Noachus, eius cum filiis, erant. Praeterea, ecquid frequentius est (ita enim pergit,) in literis sacris, quam quod homines, qui diuinas prae se inspirationes ferunt, Πνεύματα appellantur? Ergo etiam hic viri θεόπνευστοι, ecclesiae doctores antediluuianae, intelligendi sunt. Item, quum Davidis in hymno, XXXIII, 21 legatur: Φυλάσσει Κύριος πάντα τὰ ὄσα τῶν δικαίων, *custodit Dominus omnia ossa iustorum*; Petrus autem similiter scribat

bat

bat in loco παραλλήλω, *Noachum a Domino custoditum esse*: ecquid certius (credit denuo,) esse posse, quam quod idem Apostolus vocem φυλακῆς etiam in priore loco adhibuit bono sensu, et indicauit per τῶς ἐν φυλακῇ εὖ, qui custoditi sunt

### III

SED nondum satis erat expositionum nouissimarum. Nam nisi etiam particulae cuiusdam significatio, et consequentium positus vocabulorum immutaretur, interpretis ἰδιογνωμοσύνη succedere parum potuisset. Quare in hunc modum instituit coniectator. Statuit, vocem ἀπειθήσασιν, *infidelibus*, non esse cum τοῖς ἐν φυλακῇ Πνεύμασι, *spiritibus in custodia*, coniungendam. Vultis causam, lectores? Adest nulla. Sed vnice laetatur Auctor, Iohannem Clericum, Arminianorum illum hyperdialecticum, sentire ita et pronuntiare. Pronuntiat enim Ioh. Clericus b: "Vox ἀπειθήσασιν in Dativo transferenda est hoc modo: *His, qui increduli fuerunt aliquando*. Deinde, in verbis antecedentibus ἐν ᾧ καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ Πνεύμασι, post particulam καὶ, repetenda est praepositio ἐν. scilicet ita: *Ἐν ᾧ καὶ ἐν τοῖς ἐν φυλακῇ Πνεύμασι πορευθεῖς ἐκέρυξεν.*" Pergit autem Wittingius, et quod attineat ad praepositionem adiectam ἐν, ait, acute vidisse Theodorum Beza, c) hypothesi Reformatorum in-

A 3

b) Ioh. Cleric. *Animadu. ad Hammond.* p. 379

c) Theod. Beza *Annotat. ad b. l.*

VI  
 feruentem, quod huic praepositioni notionem *per* hoc  
 loco attribuit. Itaque verba Apostoli integra, haec in-  
 dicare: *Per quem Spiritum, nempe per illos iustitiae praec-  
 cones, a Deo seruatos, ubique locorum praedicauit iis, qui  
 increduli erant aliquando.* Tandem denique ex interiori  
 Graecitate et ex literis nescio quibus, tanquam gladio  
 Alexandri, nodus secatur Gordius. Nam, si esset *de de-  
 scensu Christi ad inferos* sermo, scribi putat debuisse: *Ἐν  
 ᾧ καὶ Εἰς ΦΥΛΑΚΗΝ πορευθεὶς ἐκήρυξε τοῖς Πνεύμασι ἀπει-  
 θήσασιν.* Ratio affertur haec: quia aliud dicendi genus  
 esset: *τοῖς ἐν Φυλακῇ πορευθεὶς ἐκήρυξεν.* et aliud vero, vt-  
 pote quod commate 22 habetur: *εἰς ἄρανὸν πορευθεὶς*

III

HAEC est illa interpretatio noua, oreque alio indi-  
 eta, quam nec voci vlli, nec constructioni inferre vim,  
 sius inuentor credit, contextuique autem longe esse  
 conuenientissimam. Nos e contrario demonstrabimus,  
 neutrum illorum quae iactat, ita sese habere; sed non  
 solum aduersus haec omnia esse grauiter peccatum, ve-  
 rum etiam ipsum *παρὰλλήλισμόν*, cuius tantus videri ex-  
 ornator interpres cupit ingeniosissimus, repugnare

V

PRIMO enim, *τὰ Πνεύματα* non indicant *μετωνομιᾶς*  
 hoc in loco *praecones diuini verbi*, neque eos, *qui se Spi-  
 ritus*



*ritus Sancti dono dicunt ornatos esse ad obeundum prophetae munus.* Nam etsi aliquot loci Noui Foederis, in quibus talis obtinet notio, minime desunt: *d)* non sequitur tamen, eam propterea etiam hic obtinere. Multo autem id minus poterit inde colligi, quod Noachus, Spiritu Dei impulsus, *κῆρυξ δικαιοσύνης* *praece iustitiae* nominatur. Id enim sane et maxime remotum, et esset maxime putide arcessitum. Ecquis enim ita ratiocinabitur: Si Noachus, si filii eius, Spiritu summi Numinis impulsus, praedicarunt *δικαιοσύνην τῷ Θεῷ*, *iustitiam Dei*; igitur recte possunt appellari, appellanturque vere *τὰ Πνεύματα* *Spiritus* in nostro loco? Ecquis logicorum pullus tam capitalem ferat ratiocinatorem, qui ab eo quod fieri potest, ad id ut etiam vere sit, colligat? Addo, ipsam adeo docere rationem, esse a propria vocabulorum significatione sine necessitate neutiquam discedendum. Atque id ne fieri debebat quidem, si difficultas quaedam apparens adest; nedum, si plana, si aperta sunt omnia, tum vero nulla metonymia, nulla significatio tropica locum reperit. Igitur quum *τὰ Πνεύματα* indicent *Spiritus*; siue etiam *animas a corpore separatas*, id est, homines vita functos, ea a parte qua superstites sunt; quum praeterea, quare in hoc loco a sensu recedamus literae, desit causa: iure proinde debet propria significatio praeferr.

Indican-

*d)* Conf. Ioh. Iac. Wetstenii *Annot. ad Luc. VIII, 55*

## VIII

Indicantur vero in hoc loco, quod ex adiecta voce ἀπειθήσασι, *infidelibus* patet, ΤΑ ΑΚΑΘΑΡΤΑ siue ΠΙΟΝΗΡΑ Πνεύματα. Et haec vocabula quamuis passim adiecta sunt obuiaque, tamen etiam sine hac adiectione nude Πνεύματα leguntur, pro *spiritibus damnatis et infernalibus*. Verbi causa, apud Marthaeum, VIII, 16: Καὶ ἐξέβαλε τὰ Πνεύματα λόγῳ. Et eiciebat Spiritus immundos uno verbo. In priori tamen Epistola ad Timotheum, cap. III, 1 Πνεύματα commemorantur ΠΛΑΝΑ, *spiritus seductores*, mali infernalesque genii

## VI

EODEM sese modo res habet cum attributo, ἐν Φυλακῇ. Nimirum insistendum est regulae: non esse literarum a stilo sacrarum temere recedendum. Certum est quidem, vocem τῆς Φυλακῆς habere etiam hanc notionem, ut bono sensu Φεραεὶν, *tutelam ac praesidium*, indicet, atque ut ponatur de ipsa custodiendi prospiciendique actione: quo sensu etiam Iulius Caesar e) vocabulo Latino *custodia* vsus est. Praeterea loquutiones Φυλακὴν ποιεῖσθαι τινός seu ἔχειν, item διὰ Φυλακῆς ἔχειν τι, siue ἐν Φυλακῇ ἔχειν, ponuntur adeo apud Graecos scriptores f), apud Homerum, apud Thucydidem, pro Φυλάσσειν *custodire*. Igitur quod ad *sensum* attinet *actiuum*, potest omni-

no

e) Iul. Caes. de B. C. I, 17

f) Vid. Henr. Stephani *Thef. Graec. Ling.* T. III, voc. φυλακῆ

no phrasin ἐν Φυλακῇ ὡν episcopum vigilemque significare, nempe eum, qui aliquid obseruat cauendi causa. Atque haec recte quidem huc vsque. At enim vero, eandem phrasin ἐν Φυλακῇ ἔναι sensu adhiberi passuo, nempe pro eo, cuius salus atque incolumitas custoditur; et deinceps, eam etiam in hoc loco nullam aliam obtinere significationem: huius inquam loquutionis nullum sane exemplum scio, et debuisset certe huius exornator sententiae locum, vnde eam comprobaret, adducere. Praestat igitur omnino, vocabulum Φυλακῇ pro δεσμωτηρίῳ, pro custodia, id est carcere, adhibere. quemadmodum illud frequenter apud LXX Graecos, apud Matthaeum saepe, item in Actibus Apostolicis, XII, 6, et praecipue autem in Apocalypsi, XX, 7 occurrit; quo vltimo loco Satanas ἐν ΤΗΣ ΦΥΛΑΚΗΣ αὐτοῦ λυθήσεται, id est, ex tartari carcere liberari suo, scribitur. Neque id multis etiam exemplis indiget, adeo vt, si diutius illis immoraremur, actum agere censendi essemus

## VII

QVID autem de eo dicemus, quod reliquae coniunguntur voces pro lubidine? et quaedam particula, saltem propter hanc causam, quod sic interpreti placuit, nec alioquin ornari hypothesis sat potuisset, inferitur? Quare enim, dic sodes, vocabula τοῖς Πνεύμασι ἐν Φυλακῇ,

B

iungi

X  
iungi cum ἀπειθήσοσι non debeat? Nam certum est ta-  
men, non positum minus vocabulorum, quam contex-  
tum, et ipsam adeo sensus ex se clari significationem,  
aliter postulare. Et interpretem autem quis docuit no-  
uum, praepositionem ἐν, ante verba τοῖς ἐν Φυλακῇ, in-  
iciendam, et esse legendum: Ἐν ᾧ καὶ EN τοῖς ἐν Φυλακῇ  
Πνεύμασι? Excipit paraphrastes: Atqui gratum est, et  
est tenerum auricularum Iohannis magni Clerici iudicio-  
lum, ut qui hanc praepositionem ἐν omisam esse ob ἐνΦω-  
ταν sensit. idque, si quis alius bipedum, acutissime!  
Quasi vero, si, ut sunt, leguntur verba, nec iis nova affin-  
gitur contortaque expositio, perfacilis non maneret sen-  
sus! Quid? quod ne ipse quidem interpres potuit Lati-  
nam sui doctissimi Clerici explicationem concoquere?  
Visus enim est sibi perspexisse, insertam illam praeposi-  
tionem ἐν, vulgarem obtinere significationem (in) parum  
posse: igitur cum Beza statuit, conuenientius dici, si  
notio per in hoc loco adhibeatur. Adeoque verborum,  
ἐν ᾧ καὶ EN τοῖς ἐν Φυλακῇ Πνεύμασιν ἐκέρυξεν, hic esse sen-  
sus debet: *Per quem Spiritum, NEMPE PER illos, a Deo*  
*custoditos, iustitiae praecones, praedicauit.* Denique, quum  
etiam bis occurrat praepositio ἐν, propterea ad gramma-  
ticam, credo Scioppii, philosophicam est trepidandum,  
illudque prius ἐν pro *caussa principali*, posterius autem  
pro *ministeriali*, habendum. At enim vero, si hoc non  
est fingere per lubidinem inanem; si hoc non est ludere  
potius

potius cum libris sacris, quam serio religioseque agere, g) nescimus medius fidius, quid tale sit

VIII

NEQVE etiam tam sumus intelligentes, tam nec perspicaces, qui videamus, verba ἐν τῷ καὶ EN τῷ ἐν Κυ-  
*λακῆ Πνεύματι ἐνήργησε* ita esse transferenda: *Per quem spi-  
 ritum*, NEMPE per illos, a Deo conseruatos, iustitiae prae-  
 cones, praedicauit. Phrasis enim, quae proxime antece-  
 dit, *Ἐπομιθεὶς δὲ τῷ Πνεύματι*, in *uiuum reuocatus virtute  
 diuinac naturae*, docet, uoculas ἐν τῷ esse omnino referen-  
 das ad τῷ πνεύματι, ac reddendas: *vi cuius*, scilicet *diui-  
 nae naturae*. Omnes certe ad vnum interpretes, adeo  
 vt ne ipse grandis quidem dialecticus Iohannes Clericus  
 audeat oggannire, eo conueniunt. Solus hic ille nouus  
 commentator effundit: *Per quem*, NEMPE per illos iusti-  
 tiae praecones. Istud uero, tam insolens, tam est alienum  
 cum a grammatica constructione, tum a natura pronomi-  
 nis relatiui, vt, si haberet se recte interpretis explicatio,  
 diuinus scriptor non iniuria soloecismi, non iniuria rau-  
 cae admodum scribiginis accusaretur

VIII

si autem displicet exegetae, quod Apostolus non

B 2

scri-

g) Commendari meretur Cel. Ioh. Aug. Ernesti *Diff. de vani-  
 tate philosophantium in interpretat. Script. S. Lips. 1750*

## XII

scripsit: εἰς Φυλακὴν πορευθεὶς, ἐπέμψεν τοῖς Πνεύμασιν ἀπει-  
 θήσασθαι (Nam, ne quis erret, si verba ordine huiusmodi ef-  
 sent collocata, concedit opellae inuentor, *textum cla-*  
*maturum, Dominum nostrum ad locum damnatorum profe-*  
*ctum esse*;) prius igitur si ei displiceret, tum ipse, si velit,  
 sciat, Apostolum sanctum omnino scripsisse non aliter  
 quoad sensum. Nam, vt nihil commemoremus, esse v-  
 nam eandemque loquutionem, εἰς Φυλακὴν et ἐν Φυλακῇ.  
 Graeci enim eodem sensu ἐν τῇ ὑπεραίᾳ et εἰς τὴν ὑπεραί-  
 ῶν scribunt; scribunt ἐν τῷ Φανεράῳ et εἰς τὸ Φανερόν ac  
 plura dabit exempla Franciscus Vigerus, in libro de idi-  
 otismis Graecae linguae. *b)* Attamen non indigemus hac  
 exculpatione. Nam quis nescit, μετὰθεσίῳ atque synchy-  
 sin vocabulorum in optimorum oratione scriptorum *i)*  
 inueniri? Et, ne ad externos euagemur, multo intrica-  
 tior habetur σύγχυσις in epistola ad Hebraeos II, 9, quam  
 in hoc Petri loco, cuius verba tam puro profuunt de  
 fonte, Aganippen vt superent, vitro splendidiorem

## X

his expositis, praererea offendemus, nihil hoc ef-  
 .se loco etiam in *parallelismo*, quo instar infidiarum, opi-  
 nionis repertor nouae vitur, praesidii collocatum. Non  
 autem

*b)* Franc. Viger. *de Idiot. Gr. L. VIII, p. 425*

*i)* Conf. b. Sal. Glaffii *Philol. S. III, 2, Obs. 23, p. 919 f*

autem dicemus, saepissime omnino collationem variorum scripturae sacrae locorum eam prodere utilitatem, ut illustrentur difficiliora, et dubia quae videri poterant, confirmantur ex clarioribus. Sed attingemus vnice hoc. nempe etiam in negotio tali, scilicet extra oleas ne vagemur et abutamur παραλληλισμῶ, caute admodum esse prouidissimeque agendum. Praecipue vero est cauendum, ne existimemus, locum quendam, alteri quodammodo similem, ius aliquod obrinere in alterum; atque hanc, illam, phrasin, hoc aut illud vocabulum, esse hic necessario ita interpretandum, quia alibi haec phrasis aut haec vox istiusmodi veniat significatu. Quae si quis cogitat, mirabitur valde, qui factum, ut Viro docto ac perspicaci, sacrisque ipsis in libris minime versato parum, in mentem venerit, ut voces in posteriori epistola aliquot Petrinas, vnam habere eandemque, cum aliis huius Apostoli in literis prioribus, significationem potuerint. Quis enim serio credat, τὸν κήρυκα δικαιοσύνης idem esse quod τὰ Πνεύματα? Ecce hoc? Scilicet quia διάκρυσις et δογμασία Πνευμάτων in locis 1 Corinth. XII, 10, 1 Iohan. III, 1, et alibi occurrit. Ergone propter haec in Petrino illo τὰ Πνεύματα sunt ecclesiae doctores, qui iustitiam praedicant? Si hoc est ἐκ παραλλήλων poni, nihil sane distantius vidimus! Praeterea, quoniam in loco, quem interpretes parallelum putat quoad vocabula, de prouidentia Numinis in seruando Noacho et eius familia agitur;

## XIII

gitur; et quia dicitur: ὁ Θεὸς τὸν Νῶε, δικαιοσύνης κίβητα,  
 ΕΦΥΛΑΞΕ, *Deus Noachum, iustitiae praecorem*, CΥΣΤΟ-  
 DIVIT: hanc propter, et nullam vero ob causam aliam,  
 videturne fodes verifimile, loquutionem Πνεύματα ἐν  
 ΦΥΛΑΚΗ, (quam nos interpretamur: *Spiritus in carcere  
 tartari*;) eam oportere, velit nolit, tamen significare  
*Evangelii praecones*, quos *Deus tempore diluuii custodiuit*  
 aduersus impiorum iniurias, et horrendas eorum poe-  
 nas? Denique, vt hoc cohaereat rete araneolarum, non-  
 ne vetitum, audacia nonne est, sic impune in librorum  
 viscera sacrorum grassari, et praeter omnem causam  
 partim voces τοῖς ἐν Φυλακῇ Πνεύματι abripere ab ἀπειθή-  
 σασι, partim nouam aliquam praepositionem ἐν ingere-  
 re in textum, et eam vertere prouti liber

## XI

НАЕC igitur noua, ficulneaque, quum ruat ipsa  
 per sese interpretatio, causa est nobis plane nulla, qua-  
 re ab illa, dudum euicta, et a Carpzouio nostro nuper  
 stabilita, Petri interpretatione loci, *de descensu Christi  
 ad inferos*, k) recedamus. Hanc autem interpretatio-  
 nem

k) Eodem anno MDCCLIII, quo dissertatio Carpzouiana,  
 prodiit etiam inane commentum Rauschenbuschii *de descen-  
 su Christi ad inferos*. Is quum iudicium de suo foetu, per  
 literas, ab alio Viro scriptas, a nostro Carpzouio petisset;



nem quam repetere isthoc loco instituti ratio parum permittit; ita vero nunc vnice hoc adiciemus. Scilicet, longe esse verisimilius, τὰ Πνεύματα ἐν Φυλακῇ 1 Petri III, exponi in loco παραλλήλῳ 2 Petri II, 4, per τὰς Ἀγγέλους, ἐς ὃ Θεὸς σειραῖς ζόφου ταρταρώσας, παρέδωκεν εἰς κέκλιτον τετηρημένους id est, per *Angelos, quos Deus ad catenas praecipitavit tenebrarum tartarearum*, ad iudicium custodiendos. Postulant enim hanc interpretationem, quae sequuntur. Primo, eadem vtroque in loco propositio, qua seruari a Deo pios, impios puniri, comprobatur. Deinde, exempla eadem, in vtroque penso adducta. Exempla haec sunt. Ab altera parte *conseruatio Noachi*. Ab altera autem, partim *perditio Angelorum malorum ἐν Φυλακῇ* (sive, quod idem est: τὸ ταρταρῶσαι σειραῖς ζόφου, *praecipitatio in tartarum, et ad catenas caliginis alligatio*); partim *extirpatio antiqui generis humani, per diluuium*

## XII

SED est ea hodie multorum, sacras qui literas docent, indoles, vt inanibus malint ac *problematicis* alios sententiolis decipere, quam antiquae illi verissimaeque interpretationi ac sententiae inhaerere. Vt in solo *de Angelis* capite persistamus, scriptores non desunt varii, qui suas

impetravit (quod scimus,) eiusmodi sententiam, quae cum illa, in *relatione in Actis diurnis Goettingens.* perscripta, plane conuenit

## XVI

suas persuadere opiniones student iis, qui pares non sunt  
 examinandis ὑποθέσει. Dicunt, *Angelos in omnibus pla-*  
*netis esse.* Scribunt, *eos ad imaginem Dei creatos.* Affir-  
 mant: *ut Filius Dei est imago Patris, sic et Angelos esse*  
*imaginem diuinitatis.* Aduersus literas sacras docent: *An-*  
*gelos sexta die esse conditos.* et quæ sunt alia. Vos po-  
 tius, Ciues charissimi, caute, et μή παντί ΠΙΝΕΤΜΑΤΙ  
 πιστεύετε ἀλλὰ δοκιμάζετε ΤΑ ΠΙΝΕΤΜΑΤΑ, εἰ ἐν τῷ Θεῷ  
 ἔσῃ; *Nolite cuius SPIRITVI credere, sed explore SPIRI-*  
*TVS, an ex Deo sint?* Iohan. III, 1. P. P. Helmstadii,  
 in Academia Iulia Carolina, pridie  
 Kalendas Octobres, A. I. S.

MDCCLVI

---

 XIX


153883

X 2286633

R







37  
36

ΠΕΡΙ ΤΟΥΣ  
EN ΠΗΛΑΓΩ ΠΝΕΥΜΑΤΩΝ  
EN ΦΥΛΑΧΗ ΠΝΕΥΜΑΤΩΝ

S I V E  
DE SPIRITIBVS IN CVSTODIA

I PETR III XVIII

IN  
SOLLEMNI DIE ANNIVERSARIO  
S. MICHAELIS  
A. I. S. M D C C L V I  
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA  
P. P

HELMSTADI  
LITERIS VIDVAE B. SCHNORRII